

Prophetiam scripturæ esse propriæ explanationis. Quibus verbis Apostolum docere putant, Cham. Panstrat. Cathol. Tom. 1. lib. 1. c. 19. & lib. 16. c. 3. §. 1. & 2. Polan. Syntagm. Theol. lib. 1. c. 45. quæstion. 6. Med. 1. Walæ. Loc. Comm. Theol. Loc. de Scriptur. Interpret. Fayus Enchirid. Theol. Disp. 26. Thes. 8, 9, 10. aliique, Scripturas non debere exponi propriò ingenio, ac privato sensu, quem sibi quilibet fingit atque Scripturæ impingit: Sed eò Spiritu, quò primùm propositæ fuerunt, hoc est, secundùm Spiritus sancti dictamen, ut ex sequentibus colligunt; subjungit enim Apostolus; *Non enim libidine hominis allata est olim Prophetia, sed acti à Spiritu Sancto loquuti sunt Sancti Dei homines.* Atque hinc deducitur, omnem Interpretationem debere esse secundùm Scripturas. *Nam quia oportet esse (sunt verba Chamieri) à Spiritu Sancto, quæcunque tandem proferetur Epilysis, necesse est hauriri ab inspiratione vel ordinaria, vel extraordinaria. At extraordinaria nunc nulla expectatur, & jampridem cum Montani paracletò Enthysiarum Prophetias valere jussit Ecclesia. Restat igitur ordinaria, quam quis neget è Scripturâ peti.* Hanc autem postea vocat diligentem locorum collationem. At respondemus. *Primò quosdam legere, ut annotat Walæus, non ἐπιλύσεως explanationis, sed ἐπιλεύσεως impetus, inter quos etiam est ipse Calvinus, (ut refert Beza in notis in hunc locum) qui interpretatur, Impulsum seu instinctum, eamque interpretationem sibi vehementer placere scribit. Secundò, quamvis vulgarem lectionem vocis ἐπιλύσεως retineamus, illam quandoque impetum denotare: Atque adeò, si aut ista lectio, aut hæc significatio locum obtineat verba Petri paulò aliter sonare, ac in hunc modum esse vertenda, Nullam Prophetiam Scripturæ esse proprii instinctus, aut impetus, hoc est, Prophetas ea, quæ protulerunt, non ex propriò ingenio, & impulsu dixisse, aut scripsisse. Atque hanc esse hujus loci sententiam incunctanter pronunciat, Nicol. Hemmingius in hunc locum his verbis. *Vocabulum ἐπιλύσεως ambiguum est apud Græcos, nunc enim impetum seu impulsum, nunc interpretationem significat. Verùm antithesis apertè indicat, quod hic pro impetu accipiatur, quò homines feruntur seu aguntur, ad aliquid dicendum seu agendum. Opponitur autem Spiritui Sancto, qui autor est Prophetiæ, id quod ostenditur ex tribus, videlicet ex perpetuò Prophetarum consensu, & prædicationum certitudine, ex stupendis miraculis, quibus veritas Prophetiarum est obsignata: huc accedit Christi & Apostolorum approbatio. Non ergo hic loquitur Petrus de interpretatione, sed de certitudine Prophetiæ. Quibus accedit Marloratus h. loc. cum ait. *Duplex potest esse verborum sensus. Nam ἐπιλύσεως tam motus & impetus Græcis est, quàm interpretatio. Atque ita ferè omnes accipiunt, &c. Alter tamen sensus simplicior videtur, ut Scripturam Petrus non humanitus, vel humano impulsu proditam esse dicat. Et paulò post. Imprimis ergo jubet Petrus fidem habere***

Pro-